DE HYSTERISMO DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA...

Girolamo Luzzato

DE
HYSTERISMO

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO - CHIRURGICA

QUAM

AD SUMMOS IN MEDICINA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

IN PUBLICUM PROTULIT

HYERONIMUS LUZZATO

RODIGINENSIS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXXX

CELEBERRIMO INTER CHIRURGOS

SAMUELI MEDORO

VIR CLARISSIME

Cum Tibi hoc primum meum scribendi munus commendare audeam, metuerem publicum experimentum, atque vehementer haererem, si humanitas tua et familiaritas, quibus maxime cum studiosa juventute uteris, me ab audaciae menda non absolverent. Te sane omnes doctissimum colunt, atque in chirurgica praxi peritissimum recognoscunt: et omnes profecto animi tui dotes adamant et admirantur. Istae de me bene adeo promeritae sunt, ut me Tibi in perpetuum devinxerint. Cum mihi autem par

pari referre impossibile sit, do quod valeo: atque Te rogo, ut meum hoc gratitudinis atque amoris pignus non despicias.

Annorum supremus Donator det Tibi annos: et Tu hominibus salutem, et chirurgiae additamenta. Vale, et ama

Tuum obsequentissimum servum

HYERONIMUM LUZZATO.

Unus ex morbis in penitioribus medicinae arcanis, quod inter se phoenomena pugnant, hysterica affectio est, quam ideo Protei et Chamaeleonis etiam nomine Medici Medicis tradiderunt.

Argumenti arduitas opinionum circa sedem et indolem hujus morbi varietas atque discrimen ejusmodi sunt, ut vel peritus in arte Medicus haerere deberet, ne dum qui medicinae penetralia recens accedo: sed humanitas vestra, Professores clarissimi, et munus meum disputandi de aliquo medico argumento erigunt animum mihi, sin minus ad capiendam spem me nova dicturum, ad gratiam vestram profecto et veniam consequendam, cum pro viribus meis auctores celeberrimos, qui de diagnosi et cura hujus morbi pertractarunt, sequi conabor.

Synonima et Definitio morbi.

Hysteria, hysterismus, passio hysterica, malum hystericum, uteri suffocatio.

Aegritudo, specie levis, interdum autem minacioribus phoenomenis comitata; quae saepe alienam faciem exprimit; quae decursus leges effugit; quaeque a summo violentiae gradu salutis spem cito gignit, talis est, ut quasi sit impossibile ejus

diathesim invenire. Generatim tamen asseritur, ad affectionem systematis nervosi, quae mulieres prosequitur sensiliores, vitae molli inertique dicatas, generalibus atque peculiaribus uteri irritationibus subditas, aegritudinem eam pertinere.

Phoenomena.

Communia sunt atque frequentiora symptomata: globuli ad guttur (esophagi spasmus) ascendentes; suffocationem minitans sensus; generales tremores; frigoris et caloris subitae vices; aegra interdum epilepsia, atque interdum lethargo corripitur, atque quandoque cachinnos edit; modo oculis hinc inde contortis, et dentium fremitu, modo sudoribus frigidis penitus madefacta adstantibus se praebet; saepe pulsus naturales, saepe autem contracti, duri aut rari, atque saepe adeo majora vasa pulsant, ut non multum aneurysma abludant; syncope; aestus, quo infirma tota turgescit atque jactitatur; brachiis, manibus, coxis, cruribus pandiculatur; hemicrania (clavo hysterico), gustus, olfactus, tactusque pravitate laborat; modo elate sperat et affatim loquitur, umbras quoque reformidat modo, citoque aphona fit; interdum etiam apparenti morte procumbit (quod Vesalio secanti hystericam dolenti occurrit; quod Russel uxori quidem, nisi conjux obstitisset), aliaque multa sunt phoenomena, quae tristia plus minus in hysterismi accessu hysteria sistit. Sed, eo transacto paroxismo, in quo subsultus irregulares summopere, ad horas

protracti, cum leves, brevesque, aut viceversa viderentur, aegra se dat quieti tamen defatigata aliquatenus, et accessus saepe adamussim memoratrix, quandoque tamen omnium oblita.

Hysterismus distinctus fuit in sthenicum et asthenicum: quidam eum jure judicare posse sthenicum putarunt, quatenus plurimum emolumenti a methodo deprimente habuisse arbitrati sunt: alii e contra, alia methodo morbum curantes, oppositae diathesis illum dijudicarunt.

Si studiose autem hic morbus consideretur, ad *irritativos* recensendus est; quod si aliquando hysterismo comitetur diathesis hypersthenica, non haec ab aucto *excitamento* generali, sed potius a *phlogistico partiali* turgore, ab irritantibus potentiis in loco agentibus orto derivanda videtur: hac pari ratione et diathesis hyposthenica, quae interdum specie, ipsi conjungitur, non ab universali virium lapsu, exhaurimento, sed potius ex locali nervosi systematis depressione inferenda est. Re quidem vera hysterismi forma organicis laesionibus nullo pacto aptata, ejus subitus accessus, subitusque recessus, vel coelo mutato, nullaque febris, clare ostendunt de perturbatione dynamica neutiquam agi; nam si diathesis vel aliquantulum obtinuisset, ei sua stadia percurrenda essent, neque ulla ratione de repente corriperetur; praeterea ejusmodi diathesis abest, cum interdum per *evacuantia,* expulsis gastricis *saburris,* aut a tractu intestinali vermibus, morbus de suo summo

agmine mox recedat. Simili pacto: quae in pueris varietas, quae ex vermibus symptomatum incostantia? morbi, qui quandoque videntur incurabiles et radicibus defixi, ut epilepsia, trismos, tetanos, mirum in modum saepe et cito citius anthelmynticis propelluntur. Quod si interdum, sublata quidem causa, effectus tamen persistat, vel facilius resuscitetur (licet vi decrescenti), id quoque hystericis usuvenire solet, quos *morbosi* accessus vel rebelles, vel redeuntes tamen urgent, neque in eos quid possunt *contrastimulantia,* vel *stimulantia;* neque vel ipsa, sit venia verbo, *contrairritantia.* Si periodorum hysterismi regularium et statutarum modo, modo irregularium causas reconditas disquirere velimus, eas a peculiari sensilitate, atque a sui generis morbosa sensus hystericarum dispositione, quibus persentiunt vel minimos stimulos, pendere, de conjectura, judicamus. Hic quidem *morbosus* sensus est, qui stimulis facillime cedens, repetitisque vicibus phoenomena edere assuetus, ea inde repetit iterum iterumque ex ea lege, qua plures motus *morbosi,* quin ulla videatur causa (forsan ex habitudine), in scenam iterum prodeunt. Sensus elate morbosi exemplum dant pueri, qui ex sola cum epilepticis consuetudine, ipsi quoque epileptici labuntur. In febribus periodicis multi paroxismi, si ex habitudine *morbosa,* ut saepe probabilius videtur, oriantur, meam sententiam satis defendent. Ab hac causa hauriendae videntur idiosyncrasiae, quae externarum po-

tentiarum effectus tam dissimiles atque insolitos in variis individuis, et in hystericis praesertim et gravidis gignunt. Quas demens repetit voces, quos motus extra voluntatis imperium, nonne ab impressionibus illi primum usitatioribus et fortioribus derivandos? Nonne is quae dulciora vel quae tristiora ipsi fuere saepe renunciat? Quod hysterismus interdum oriatur ex sola habitudine adsociationis, ex remediis saepe illum sanantibus satis probatur. Revera quotidie spectamus plures hystericas, uno intuitu optati subjecti, aut animi remissione itineribus capta, aut vitae generis mutatione, aut monotomi objecti; quod in causa erant tristium sensationum expulsione, salutem recuperare. Nonne etiam ex febre, aut quoque alio morbo pluries sanantur? Scimus nos, attentionem nostram, actiones, impressiones recipere, atque magis persentire, quam assuetas. Praeterea novae impressiones aliquam cerebralis organi alteram partem offendentes, dum aliquas cerebri fibras excitant, alias ex nimio excitamento jamdudum defatigatas quieti committunt.

Sed non semper has dictas adsociationes ut suas causas morbus recognoscit, quod saepe ex irritantibus tantum potentiis gignitur, aut reviviscit. Ad has pertinent menstruorum suppressio, substantiae indigestae, acidum abnorme vel insolitum in primis viis vel quocumque in tubo gastro-enterico extricatum, ipsa graviditas, variae uteri affectiones, animi contentiones, amor, zelotypia, invidia, metus, odoramenta, onanismus, coitus abusus, aliaeque in-

numerae causae aliquem ramum nervosum irritantes, pertendentes, comprimentes.

Si Medici usi fuissent potius continuo ratiocinio in disputatione circa morbi naturam tutioremque illam curandi methodum, quam phoenomenis fluxis, atque permixtis symptomatibus, medicamentorum fere omnium farraginem (ignorantiae pignus) , neque tot medicamina et methodos inter se pugnantia profecto commendassent; hoc fere pacto : amara - gentianam, metallica praeparata, praecipue zinci, cupri, ferri et mercurii, valerianam, chinam, arnicam, asam foetidam, nucem vomicam, aliaque ejusmodi; vomitorios, et sanguinis missiones etiam praescribebant, dum eadem vice aetheres, aromata, tincturas, castoreum, moscum, vesicantia, rubefacientia, praeparata sulphuris, electricitatem, mesmerismum cum iisdem copulari haud pudebat. Atque istis remediis, manibus, pedibusque tentantibus interdum occurrebat infirmarum salus, quapropter quisque suum *specificum* celebrabat. Quod si bonos effectus, ut saepenumero acciderat, extricare non potuissent, tunc ad alia atque ad alia remedia devenire, caeco impetu, cogebantur: ex quo methodum nullam, contradictiones autem multas posteris reliquerunt.

Tandem gratiae agendae sunt Medicis multis clarioribus saeculi nostri, et praesertim immortali Tommasini nuper Bononiae clinico, qui prout fieri nunc poterat, crudelis, pertinacis, atque saepe insanabilis morbi dubia illustrarunt. Morbosa sensi-

litas, quae hysterismo est instar basis, esse potest organica, sensui insita, structurae totius systematis nervosi congenita; vel organica alicujus partis substantiae cerebralis, ex quodam in eadem peculiare agenti; vel potest esse effectus nimiae sensilitatis sive sensus penitus superficialis eo persistentis usquequo causa producens persistat. Neque praetermittatur quidem a mobilitate enormi ex morbosis adsociationibus, aut a diathesi hyposthenica ex consuetorum necessariorumque stimulorum privatione id morbi genus occurrere posse. Enimvero multae sunt foeminae, quae a natura dispositionem in hysteriam eadem ratione nanciscuntur, qua homines multi modum et vim in eorum nervis, quibus rectis proportionibus armoniaque gaudent: dum quidam inconditis contrariisque laete moveri videntur. Hysterismus in foeminis ob earum mobilitatem summam (qua carioribus objectis facillime aguntur) efficitur etiam ex privatione cari objecti; quod si illis concedas, citissime quaeque morbi vestigia propelluntur.

Sed hysterismus inter sese discriminatur non solum in ordine ad efficientes causas, verum etiam in ordine ad indolem atque pathologicarum conditionum, quae illam conservant naturam. Hae conditiones esse possunt: I. organicae, ab origine, gentilitiae, hinc omnino insanabiles, uti vitia conformationis cranii, uteri, ovariorum, et pelvis. II. possunt esse insanabiles, quin primigeniae, uti derivantes a praegresso morboso processu: ad quas referuntur adhaesiones, crassitudines, exsudatio-

nesque membranarum, sive cerebri, sive quorumdam nervorum nevrilematis, ovariorum, uteri, aliorumque viscerum tumores. III. Hae conditiones gigni possunt a phlogistico processu etiamnum existenti, qualis esset meningitis, encephalitis, myelitis, metritis: quae conditiones omnes accurata observatione dignae sunt, quatenus possunt cum fructu mederi, atque sin minus cognoscerentur, communioribus hysterismi et consuetis remediis pertractatae, insanabiles evaderent. IV. Esse possunt irritativae tantum conditiones ab irritantium substantiarum praesentia incitatae, et quidem removendae, ut saburrae, vermes, calculi, venena, aut externe agentes, quales pravi odores et foetidi, qualia insecta ad cutem. Ex his colligitur, quod propter causarum necnon pathologicarum conditionum differentias, quae morbum producunt aut conservant, plurimum utilitatis sistitisse excitantium ope in sensibilitatem morbosam, quae a pathematibus deprimentibus facta fuerat: quemadmodum e contra multum damni in sensibilitatem a phlogistica plus minus perextensa conditione incitatam, in quam profecto oppositae naturae remedia profuissent.

Ex his equidem colligitur *indicatio* et utilitas methodi evacuantis, cum irritantes potentiae subsistant, verbi gratia, dum vermes anthelmynticis, drasticis, mercurialibus propellis: utilitas methodi absorbentis dum acida primarum viarum, dum saburras et venena emeticis, atque potionibus aquo-

sis temperas, diluis, etc. Ex se aeque patet qua de causa in morbosis adsociationibus multum prosint vehementes impressiones, familiariumque circumstantiarum immutationes; et qua ratione quidem hysterismus quandoque sit insanabilis, propter organicam fibrarum nervosarum structuram, aliudque ejusdem ingenii vitium. Hujusmodi sunt antiquae convulsiones, quin ulla pateat et cognoscatur interna externave irritatio, quamque methodum recusantes, atque suum fomitem in organica interna conditione habita a phlogosi male aut aegre extincta inveniunt. Hinc Medici sapientia atque ingenium in causam cognoscendam, morbique conditionem, atque in faciendam aptatam eidem medicinam incumbant.

Prognosis.

Hystericae affectionis ex peculiaribus individui circumstantiis, ex gignentibus morbum, eumdemque servantibus causis, ex vi infirmarum in patiendis artis subsidiis, atque ab effectibus, qui in alia aut alia methodo antecedentis curae eliciti sunt, omen constituatur. Sed curet Medicus, ut omni studio atque prudentia se gerat in dialogis; nam verba juxta eorum ingenium, atque infirmarum sensum plus minus pharmaci instar credo profutura. Hysterismus autem in genere, nisi ab organica perturbatione (qui minus saepe) sit, mali ominis non est. Rari sunt quidem organicae laesionis

casus; et pervulgatus est qui fertur a Bullier puellae cujusdam, quae terrore correpta, incidit in subitum hysterismum cum vehementi strangulatione, qua ad triduum occubuit; atque ejus cadaveris ovaria turgescebant magnopere, haerebantque hinc inde vesiculae permultae, humore quodam plenissimae: sed frequentiores atque infiniti fere sunt sanationum casus de foeminis quoque hysteriae gradu affectis; atque ejusmodi sunt, ut neque ipsi Medici felices admodum praestolerentur.

Cura.

Ex superius dictis infertur, in hysterismi curatione se Medicum juxta peculiares casus, non juxta generalem quamdam normam, se gerere debere. Dispunctis interea generalibus praecipuisque infirmitatis causis, eidem suam methodum curae aptare velit. Si autem causae Medicum latent, tum eas a *juvantibus* et *laedentibus* perscrutetur, ut inde medicinam facere proprie talem possit. Caute tamen id faciat Medicus sapiens, ne ejus methodus fluxa, neque orituris effectibus tempus praefinire videatur.

Hinc levium pavidorumque Medicorum vulgus incidit, quod vel infirmorum impatientiae, vel phoenomenorum instabilitati inservit. Sit modus in rebus. Cum autem morbi indoles videatur organica et insanabilis, tunc Medicus infirmorum molestias mitigare, eorum vitam protrahere, easque

a desperatione tueri studeat. Haec sunt verum adjuncta, in quibus, prae caeteris omnibus, ad ambages, quarum saepe saepius contra fas incusantur, Medici confugere possunt; nam nocent ullis, prosunt quibusdam.

THESES

I.

Anatome pathologica tutius fundamentum ad morbos cognoscendos.

II.

Phlogoses quamdiu subsistant, eadem semper ratione pertractandae sunt.

III.

Stimulans substantiarum virtus minime absoluta, sed relativa est.

IV.

Fames atque sitis animalium statum morbosum indicant.

V

Substantiae nutrientes sunt corpora passiva in tubo alimentari, et dum activa fiunt, id ex quorumdam stimulantium praesentia fit.

VI.

Contagiorum materies est productio organica, quae ex se, solis viribus animalibus, naturaliter multiplicatur et extinguitur.